DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PERITONITIDE PUERPERARUM;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS PADDON BOND HASELL,

AMERICANUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

" *Ritè maturos aperire partus*
" *Lenis* Ilithyia, *tuere matres;*
" *Sive tu* Lucina *probas vocari,*
" *Seu* Genitalis."   Horat.

VII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

VIRIS SPECTATISSIMIS,

ALEXANDRO BARON SENIORI, M. D.

ET

SAMUELI WILSON, M. D.

CAROLOPOLITANIS AMERICANIS,

MEDICINAM

FAUSTISSIME FACIENTIBUS;

A

QUIBUS PRÆCEPTORIBUS

ARTIS MACHAONIÆ

INITIA

DIDICIT;

HANC DISPUTATIONEM,

PEREXIGUUM

OBSERVANTIÆ, ET PERENNIS AMICITIÆ

MONUMENTUM,

D. D. CQUE

GEORGIUS P. B. HASELL.

AMICO CONSANGUINEOQUE,

HUGONI ROSE

ARMIGERO,

CAROLOPOLITANO AMERICANO;

LITERIS MORUMQUE ELEGANTIA

ORNATO,

PATRIÆQUE AMORE NEMINI

SECUNDO;

HOC

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

PIGNUS

SCRIPTIS

MANDAT

GEORGIUS P. B. HASELL.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

PROOEMIUM.

Peritonitis puerperarum, quippe ad quam sanandam efficacissima haud rarò medicamenta parùm aut nihil valeant, semper periculosus morbus est, sæpissimè lethalis. Quum ita sit, oportet eos, qui ita medicinæ studio incumbunt, ut posteà laborantibus salutiferam opem adhibeant, ad eam animos summâ curâ attendere; atque investigare, non solùm quibus causis oriatur, et quâ naturâ sit, sed

etiam quibus optimè levetur cureturve medicamentis et remediis.

Non sine mearum virium diffidentia rem aggredior, quam medici ingenio clarissimi, et maximâ experientiâ, exponere conati sunt. Sed morborum, qui mortales invadunt, numquis est, quem medici peritissimi non persecuti sunt? Hunc morbum tractando, non mihi in animo est novi quid proponere; sed in compendium conferre opiniones aliorum, et iis assentiri, quæ ad scientiam et fidem aptissimæ videantur.

Quanquam haud dubium est, quin omni ætate *peritonitis* multas puerperarum absumpserit; tamen, quòd scimus, JUSSIEVUS omnium primus est, qui accuratè descripsit, ut in valetudinario PARISIENSI grassabatur, anno, post CHRISTUM natum, millesimo septingentesimo quadragesimo sexto.

Ex eo tempore, multi medicorum scriptis hunc morbum fusè persecuti sunt; neque, enimvero

enimvero, hoc mirum est, cùm sæpè inter puerperas, hìc illìc EUROPÆ, contagione vulgatus sit. PARISIIS, in eodem valetudinario, quod modò memoravimus, denuò invasit, anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto * ; neque desivit, usquè ad millesimum septingentesimum octogesimum sextum.

LONDINII sæviebat anno millesimo septingentesimo sexagesimo, itemque millesimo septingentesimo septuagesimo. DUBLINII grassabatur, inter puerperas, anno millesimo septingentesimo sexagesimo septimo ; millesimo septingentesimo septuagesimo quarto ; millesimo septingentesimo octogesimo septimo, annoque sequente.

EDINBURGI, in ea valetudinarii parte, quam tenebant puerperæ, invasit anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, quandò hujusmodi

---

* "*L'HOTEL DIEU donc,*" inquit TENONIUS, "*perd* "*quelquefois plus de la moitié des femmes qui y vont* "*accoucher.*"

jusmodi ægrarum valetudines YOUNGIUS regebat. Hic medicus, quò morbi cursum sisteret, gravidas, quæ in eo essent ut parturirent, valetudinario auferendas curavit ; et interdixit, ne qua intromitteretur ut pareret, donec, dealbatis parietibus, exstinxisset tabum, quo vulgatus morbus erat.

LONDINII denuò revixit hic morbus, anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo, annoque sequente ; et, eodem propè tempore, pluribus aliis ANGLIÆ urbibus, sæviebat.

CAP. I.

De Nomine, Definitione et Signis.

INFLAMMATIONEM haud rarò puerperarum *peritonæum* invadere, medicis diù innotuit. Hujusmodi, enimvero, morbum ne HIPPOCRATES * quidem ignorabat, quippe cùm, de notis quibusdam ei propriis, in scriptis, meminerit. Aliud autem ei nomen dixerunt alii auctores. *PUERPERARUM FEBREM* appellavit STROTHERUS †; *PERITONITIDEM* VOGELIUS ‡. Alii, et, ut nobis videtur, rectiùs, *PERITONITIDEM PUERPERARUM* nuncupant.

A

* Vid. HIPPOCRAT. *De morbis popularibus*, Lib. i. Sect. III. *Ægrot.* iv. v. xi.—Lib. III. Sect. II. *Ægrot.* x. XI. XII.—Sect. III. *Ægrot.* II. XIV.

† Vid. EDUARD. STROGEL. *Critical Essay on Fevers*, Chap. IX. pag. 212.

‡ Vid. VOGEL. *Gener. Morbor.* Gen. LXII.

A Culleno, cui convenit cum Vogelio de nomine, hic morbus definitur, "*Pyrexia; dolor abdominis, corpore erecto auctus; absque propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis* *."

Hic morbus tùm periculosissimus est, et maximè lethalis, cùm, ut plerumquè, puerperas communiter incursat, et omni promiscuè anni tempore. Ubì, ut nonnunquàm, dispersè adoritur, mitior est, miserasque rariùs absumit.

Morbo, quem persequimur, puerperæ, quâcunque ætate sint et constitutione, opportunæ sunt, præcipuè autem delicatæ et irritabiles. Ei fœminæ, quæ sæpè parturiverunt, æquè obnoxiæ sunt, ac eæ quæ semel tantùm; quæ facilè pepererunt, æquè ac quæ difficilè; quæ calidas regiones incolunt, æquè ac quæ frigidas;

* Vid. Cullen. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. Gen. XIV.

das; splendidæ, æquè ac pauperes; quæ graviditatis menses complêrunt, æquè ac quæ abortum passæ sunt.

Peritonitis puerperas neque semper eodem post partum tempore invadit, neque iisdem signis. Secundo plerumquè tertiove, post fœtum exclusum, die adoritur; nonnunquàm autem, viginti quatuor horis; imò interdum, utì censent nonnulli, ullo dierum ante decimum quartum. Rarissimè tamen incessit, post sextum diem.

Fuerunt, qui dixerint, inflammationem, de qua scribamus, aliquandò incipere ante partum *. Sed, nostrâ opinione, nunquàm, nisi ubì partus aliquantò pòst incepit, quàm placenta ab utero se separaverit.

Peritonitis puerperarum plerumquè à horrore incipit. Hic nonnunquàm corpus subitò percurrit

* Vid. Hull. *Essay*, pag. 227.

percurrit: aliàs autem adeò lentè permanat, ut ægra vix persentiscat. Aliquandò, sed rariùs, antequàm inhorrescit corpus, oculi hebescunt, et ea frontis pars dolet, quæ orbitis superjacet. In quibusdam horror tantummodò fugax est, et sic desinit, ut nunquàm revertatur; in aliis aliquandiù continuat, et sæpè repetit.

Incalescit, post horrorem, corpus, et siccescit cutis. Sinciput simul dolet: urgent insomnia, anxietas, præcordiorum gravitas, et nausea: neque rarò ægra vomit materiam biliosam et acrem; quæ initio plerumquè flava est et porracea, sed, pòst aliquantò, subnigra et aquosa.

Dum horrescit corpus, arteriarum motus exigui sunt, frequentes, et celeres; simulque adeò debiles et incompositi, ut vix possint numerari. Incalescente corpore, earum pulsus fiunt pleniores, et magis ordinati: sed etiamnum solito citatiores sunt, et adeò non-

nunquàm

nunquàm frequentes, ut, sexagesimâ horæ parte, centum et triginta sint, neque raró cùm vi tum temporibus inæquales. Rarissimè autem duri sunt validive, nisi in ægris, quæ sanguine nimìs abundant.

Ubì huc perventum est, oritur in *hypogastrio* dolor, qui in totum ferè abdomen se diffundit, atque prementibus digitis intenditur, itemque contrahentibus se abdominis musculis. Simul nonnunquàm dolent dorsum, humeri vel femora. Primùm ut dolere incipit abdomen, crebrior fit spiritus. Ægra enim, præ dolore, quem à detruso septo transverso accipiunt inflammata viscera, non audet, singulis temporibus, tantam animam haurire, quanta ad vitam alendam requiratur; ideoque, ne suffocetur, crebriùs trahere cogitur. Abdomen intumescit, et tanquàm spiritu intenditur.

Hoc ferè tempore, alvus, quæ astricta plerumquè initio est, incipit fluere; neque raró

cruciari etiam torminibus et tenesmo, quæ sanè mala singulis dejectionibus aliquantùm levantur. Aliquandò autem, sed rariùs, tarda alvus est, per totum morbum. Eas maximè ægras vexat alvi profluvium, quæ à vomitu integræ sunt.

Urina, quam, enimvero, ægræ rarò possunt sine dolore et difficultate reddere, semper parca est. Subrubra plerumquè inítio est, et perlucida; sub finem, cretaceum sæpè deponit sedimentum.

Lingua aliàs alia est. Procedente morbo, plerumquè arida fit et scabra, atque aliàs subalbida aliàs subfusca, potissimùm basim versus. Scabri quoque dentes fiunt sorde subfuscâ; simulque fœtet anima.

Hoc morbo adeò nonnunquàm citò defluunt vires, ut ægra, ferè usquè ab initio, sit ad omnia pariter munera invalida. Neque alimentum appetit, neque grato et reficiente

ente somno fruitur. Purgationes aliquandò naturales sunt, sed sæpiùs solito parciores, et malo habitu. Aut lac parciùs secernunt mammæ, aut, prorsùs siccescentes, remollescunt et flaccent. At interdum tamen, quamvis rarissimè, per totum morbum, lacte abundant, sicut solent mammæ puerperarum, quæ prosperè revalescunt. Nonnullæ vel ægrarum, quibus lacte turgescunt, recusant, sicut immisericordes, vagienti et ploranti partui mammas præbere.

Progrediente morbo, magna interdum vis doloris in scrobiculo cordis sentitur, et hinc, umbilicum versus, pervadit. Spirandi difficultatem, quæ etiamnum urget, tussis comitatur, magnâque ægram molestiâ afficit. Abdomen magis intumescit, et fit tactûs impatientius.

Earum, quæ *peritonæi* inflammatione laborant, pariter atque earum quæ cæterarum partium inflammationibus, sanguinis emissi et fri-

gescentis

gescentis *fibrina* à sero rubrisque particulis se dissociat, atque albidum illi supernatans corium repræsentat.

Increscente morbo, os notas in cadaverosas mutat; atque vultus lugubris et ominosus muto aspectu significat, quantâ ægræ anxietate premantur, quantisque ærumnis. Genæ haud rarò sanguine suffunduntur, atque, mirum in modum, pallescit labrum superius.

Ubì huc perventum est, *miliariis* haud rarò papulis cutis efflorescit, quæ morbum tamen nihil prorsùs mitigant. Hujusmodi papulæ, ut Denmanno videtur, non tam morbo oriuntur, quàm curatione. Vires nunc magis fatiscunt, et magis. Plùs plùsque urget aliàs vomitus, aliàs diarrhœa, aliàs utraque simul. *Petechiis* summa cutis, hìc illìc, maculatur. Non suæ aliquandò mentis ægræ sunt, aliquandò animâ deficiunt.

In

In gingivis nonnunquàm ulcuscula albida, parùmque pura, à medicis *APHTHÆ* dicta, oriuntur; deindè palatum, totumque os occupant; tùm ad uvam faucesque descendunt. Fuerunt raræ puerperæ *peritonitide* affectæ, quarum ani simul marginem similia ulcera occupabant; atque concluserunt medici, id sanè quod neutiquàm comprobârunt patefacta cadavera, ulcera à faucibus, per gulam, ventriculum, alvumque, ad anum usquè, serpere.

Appropinquante morte, nonnunquàm detumescit venter; et sæpè conquiescit quoque dolor, qui eum hactenus affixit. Interdum autem plùs, quàm anteà, distenditur; simulque tantâ vi doloris cruciatur, ut vestimenta pati nequeat. Alvus fæces, urinam vesica, animi injussu egerunt; neque raró stomachus, quæcunque continet, sine ullo ferè nisu, suprà transmittit. Multùm se submittunt arteriæ, motibus quidem celerrimæ, at ictuum tam vi quàm temporibus inæquales. Hìc illìc faciei et pectoris, sudores oriuntur, atque nonnunquàm

quàm toto quidem corpore. Aliquandò, ut notârunt medici, mortem ominantur orti in aliquibus superiorum membrorum rubores, lineâ mediâ pollicem transversum patentes, qualibus erysipelas insignitur *. Adeò creber spiritus fit, ut pectus se attollere vicissimque submittere vix percipiatur. Frigescunt membrorum extremitates; atque malorum seriùs ociùs mors affert requietem.

Primo nonnunquàm morbi die secundove, mors advenit; sæpiùs autem quarto aut quinto; rarissimè post undecimum, ante quem morbus plerumquè vel ipse finitur, vel ægram tollit. Seriùs tamen, an ociùs accedat mors, multùm sanè in eo vertitur, quali habitu corporis ægra sit, quanta vis morbi; quo, post partum, tempore invaserit morbus; et quam in curandi viam processum sit.

Ubì morbus, quem tractamus, in mortem non abit, febris incipit, quinto plerumquè septimove

* Vid. Denman.

septimove die, inclinare; deinde paulatim desinit: mala ventriculi et alvi levantur, aut conquiescunt: dolor abdominis et tumor subsidunt: et excernuntur, utì debent, excernenda, atque secernenda secernuntur.

Peritonitis puerperarum, quantùm observavit LEAKIUS, rarissimè, si unquàm, eodem die, ex toto, desinit. Aliquandò autem, utì notavit, sudor toto corpore ortus, vel urina supra modum reddita, facit, ut vis morbi manifestè intermittat *.

Mala, quæ memoravimus, eandem rarissimè ægram omnia urgent, nisi forsan ubì maximâ eam vi morbus premit. Horum plerumquè alia alias afficiunt, proùt unum fortassè plurave viscerum abdominis, pelvis, vel thoracis, irritationem inflammationemque ceperint, evaserintque ad munera invalida.

Hunc

* Vid. LEAK. *Practical Observations on Childbed-fever*, pag. 56. & 57.

Hunc nonnunquàm morbum excipiunt abscessus in aliis aliàs corporis partibus; lenta febris intermittens, quam comitantur defectus stomachi, et totius corporis debilitas; artuum torpor, qualem inducit *longus rheumatismus;* et errantes huc illuc dolores.

Malis recensitis, quibus, in valetudinariis, puerperas afficit hic morbus, tantùm restat in hac rei nostræ parte, ut iisdemne, in privatis domibus, premat, paucis memoremus.

Mulieres, quæ domi puerperio cubant, *peritonitis* non solùm seriùs adoritur; sed etiam levior est, rariùsque lethalis. Haud raró à difficultate urinæ, atque dolore vesicæ, fistulæque hinc ductæ, incipit; nonnunquàm, sed rariùs, ab alvi profluvio. Primo accessu, arteriarum motus, præter solitum, duri atque pleni sunt. Sed, haud multò pòst, fiunt frequentes et debiles. Sopore, ante obitum, obruitur ægra, nec raró tollitur convulsionibus.

CAP. II.

De Cadaverum Inspectione.

TEGMINIBUS abdominis incisis, eruit ex *peritonæi* sacco aër fœtidus, parietibus simul subsidentibus. Intestina plerumquè collapsa in conspectum veniunt; rariùs distenta spiritu, aut humore cui alius aliàs color est et copia. In sacco *peritonæi*, effusus patulis arteriarum surculis humor, lactis sero concolor *, reperitur, aut pus coagulato lacti simile, nec raró concreto sanguine commixtum.

C *Peritonæum*

* Vid. *Mémoires de l'Académie des Sciences, pour l'année* 1746.

Journal de Medic. tom. XIII. pag. 22.

Peritonæum ipsum notas ostendit, ex quibus apparet, ante mortem, inflammatum longè latèque fuisse; imò et inflammationem interdum serpsisse, per omnes ejus duplicationes seu plicaturas, itemque tunicas quas cùm abdominis, tum pelvis visceribus præbeat *.

Semper admodùm morbidum omentum est. Aliquandò est parte mancum; et quæ superest pars, ea, quippe quæ, dum vita manebat, inflammata, intestinis hìc illìc adhæret. *Peritonæi*, omenti, et intestinorum vasa, quibus distribuitur et conducitur sanguis, proindè videntur, quasi ea aliquis *anatomicorum* liquidâ cerâ rubrâ artificiosè immissâ implevisset. Hæ ipsæ partes non solùm sibi inviçem, sed etiam contiguis visceribus, hìc illìc, cohærent.

In

* Vid. *Mémoires de la Société Royale de Medecine*, tom. VIII. année 1786. pag. 207.

In partibus, si quæ, gangrænâ affectis, conspicitur plus minus humoris subviridis aut subnigri, simulque gravissimè olentis.

Stomachus plerumquè, et intestina, et jecur, et splen, extrinsecùs naturalia oculis obveniunt. In cibi autem et potionis receptaculo, etiamque in alvo, ferè continetur pauxillum humoris aquosi, eique persimilis, qui, ante mortem, dejicitur. Pallidius nonnunquàm hepar est, quàm ex consuetudine.

Uterus et vesica, ab interiore parte, nullas omninò inflammationis notas ostendunt; et plerumquè, per omnia, sana sunt. *Ovaria* interdum deprehenduntur indurata et gangrænâ affecta *.

Thoracis viscera sæpissimè sana inveniuntur. Nonnunquàm pulmones quidem et *pleura*,

* Vid. FRANCISC. HOM. *Medical Commentaries*, vol. IV. et VII.

pleura, hìc illìc, leviter cohærent. Interdum in *pleuræ* sacco, at rarissimè, effusus humor conspicitur, ei supradicto consimilis, qui in abdomine continetur.

CAP. III.

CAP. III.

De Causis.

Proximum est, ut exponamus, cùm quæ causæ puerperas *peritonæi* inflammationi opportunas reddant, et quæ in opportunis hanc excitent; tum, quæ ejusdem continens sit, seu proxima. De his itaque, deinceps, pauca dicenda sunt.

Abditæ.—Quum parturiendo fœminæ magnam mutationem subeant, haud mirum est, puerperas morbis affici, à quibus cæteræ fœminæ integræ sint. Quoniam ita est, puerperium causarum, quibus mulieres *peritonitidi* opportunæ reddantur, potentissima habendum est.

Puerperarum

Puerperarum autem eæ huic morbo maximè patent, quæ sanguineo corporis temperamento sunt; quasque aptas, quæ inflammatione afficiantur, reddiderunt diæta luxuriosa, vita sedentaria, et plenitudo quam in consuetudinem traxit sanguis, inter graviditatem, incisâ venâ emissus.

Huic itidem morbo obnoxias puerperas faciunt omnia, quæ irritabiles reddunt corpora debilitando. Hujusmodi sunt nimiæ puerperarum purgationes; nimii, ante conceptum, menses; alvi profluvia; diæta parca, parùmve nutriens.

Quoniam omnia, quæ corpora infirmant, puerperas in hunc morbum proclives reddunt, haud mirum est, eas, præ cæteris, affici, quarum vires sudatione dissipatæ sint. Olim, ut nemo ignorat, solebant medici puerperis copiosum sudorem movere accensis focis, vestimentis multis superjectis, et multo usu potionum calidarum, vini, atque aromaticorum.

Neque

Neque intereà insolitum erat, multiloquas multobibasque anus, medico non reclamante, puerperis assidere, dum interìm conclavia, ubì hæ cubebant, nullum habebant perflatum. Fieri itaque vix poterat, quin febribus et inflammationibus facillimè afficerentur.

Animi, porrò, affectus, tam qui demittunt, tam qui efferunt, obnoxias morbo, quem agitamus, puerperas faciunt *. Hujusmodi sunt mœror, anxietas, timor, frustrata spes, et subitum gaudium. Quæ, ante graviditatem, fœminæ *hysteriæ* obnoxiæ sunt, et innuptæ matrimonii spe dejectæ, eædem, utì observavit LEAKIUS, puerperæ *peritonæi* inflammationi patent.

Nonnulli auctorum, ingenio clari, causis, quibus huic morbo opportunæ redduntur puerperæ, humorum acrimoniam annumerârunt; vel saltem habitum quendam, præ quo, aptiores

* Vid. LEAK. *et* DELAROCH. *Opera.*

aptiores fiunt, quæ à pestilente tabo detrimentum capiant. Itane autem sit, nondùm satìs constat.

Excitantes—morbi, quem prosequimur, causæ quæ sint, nondùm inter medicos convenit. Quoniam autem nostrum est, non tam affirmare, quæ veræ causæ sint, quàm scire et proponere, quas assignaverint auctores; breviter memorabimus, quot in horum scriptis invenerimus dignas, quæ memorentur.

Causam, quæ, in valetudinariis, hunc morbum excitet, esse tabum pestilens, quod genuerit loci aërisque vitium, plùs satìs edocuit experientia. Existimat Walshius, contactu ægrarum, hisve medici jussa ministrantium, vulgari. Sed, ut nobis videtur, perperàm; namque fœminæ, tam gravidæ quàm non, puerperis *peritonitide* laborantibus tutò non assident modò, verùm etiam accubant.

Censebant,

Censebant, inter vetustos scriptores HIPPOCRATES, et inter recentes SYDENHAMUS et DOUBLETIUS, frigus præcipuam causam esse, quâ excitetur puerperarum *peritonitis* *.

Plures auctores, nominatìm SWIETENIUS, LEVRETUS, SYDENHAMUS, BOËRHAVIUS, MORICAUVIUS, hunc morbum ad lac repulsum, et sanguinem à mammis ad membranam abdomen investientem, referunt †.

* Vid. HIPPOCRAT. et SYDENHAM. Opera. Vide etiam DOUBLET. "*Nouvelles Recherches sur la Fiévre* "*puerpérale*," ubi ait, "*presque toutes les fiévres* "*puerpérales que j'ai eu occasion d'observer, soit* "*dans les hôpitaux, soit dans la ville, ont regné en* "*hiver, et que cette maladie se renouvelle souvent à* "*L'HOTEL DIEU de PARIS, quand la température de-* "*vient subitement plus froide.*"

† Vid. *Mém. de la Sociét. Roy. de Médicine*, tom. 8.
PUZOS. *second. Mém. sur les Depots laiteux.*
LEVRET. *L'art des accouchem.* p. 146, 147. 150. et seq.
CHOMEL, *Acad. des Scienc.* l'an. 1728. Mem. p. 581. et seq.
Acad. des Scienc. l'an. 1746. Mem. p. 160.

His scriptoribus, quamvis gravibus et spectatis, accedere non possumus; quòd mammis nonnunquàm lac, utì debent, secernunt puerperæ excernuntque, usquè ad morbi finem. Quinetiam, nequaquàm huic morbo proprium est, puerperarum lac minuere aut supprimere; nam idem faciunt morbi acuti. *Peritonitis*, porrò, aliquandò priùs invadit, quàm lac secernere mammæ inceperunt. Præterea, vera horum si sit opinio, quomodò fit, ut nutrices, dum infantes delactant, hoc nunquàm morbo corripiantur. *Chymicis*, denique, periculis compertum est, humorem, in *peritonæi* saccum effusum, naturâ lacti prorsùs absimilem esse.

Suppressis puerperarum purgationibus excitari hunc morbum, medici olim putabant *. Quin hoc nonnunquàm morbo hæ arescant, non negamus. Sed, id sanè quod hanc opinionem prorsùs infirmat, per totum interdum morbum

* Vid. Hippocrat. Avicenn. et Sennert.

morbum effluunt. Nostrâ, enimvero, ætate, conceditur, purgationum et lactis suppressionem morbum consequi, sed non efficere.

Sunt medici, WHITIUS, nempè, CLARKIUS, WATSONIUS aliique, qui puerperarum *peritonitidem* secundarium morbum esse, et eâdem causâ, quâ *typhus*, excitari censeant. Inducti sunt, ut ita crederent, propterea quòd nonnunquàm, perindè ac *typhus*, et interdum quidem unà, in valetudinariis, et frequentibus populo urbibus, grassatur, puerperarum plurimas absumens.

Ubì, in valetudinariis, vulgatur *typhus*, puerperæ, quippe quæ, præ cæteris, opportunæ morbis sint, eam sæpissimè febrem nanciscuntur, sed à malis *peritonitidi* propriis integræ sunt. Cùm, utì à KIRKLANDIO * et CLARKIO accipimus, inter valetudinariorum puerperas,

† KIRKLANDIUS *narrat, se vidisse sexdecim hujusmodi exempla.*

puerperas, hi morbi sæpè unà simulque grassentur, et alter alterius formam aliquantùm mutet, haud mirum est, unum nonnunquàm, pro altero haberi.

Sed undè igitur *peritonitis* interdum inter puerperas vulgatur? Iisdem, putamus, causis, quibus *pneumonia*, *rheumatismus*, aliique morbi inflammationem habentes. Eodem enim tempore, ut certiores nos facit CLARKIUS, hi morbi, atque puerperarum *peritonitis*, DUBLINII vagabantur. PARISIIS quoque, anno, post CHRISTUM natum, millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, ubì, apud GALLICOS medicos, *peritonitis* primùm attentionem vindicavit, nonne alii morbi inflammationem habentes vigebant*?

Quinetiam,

---

* "*On peut encore avoir une preuve de l'influence*
"*du froid dans l'origine de la fièvre puérperale, en*
"*observant que les pays les plus froids, sont ceux où*
"*les suites de couches sont les plus fâcheuses, et tandis*
"*qu'on*

Quinetiam, ex incisis cadaveribus apparet, *typhum* et *peritonitidem* morbos prorsùs diversos esse. Ille enim morbus inflammatione externam abdominis viscerum tunicam non afficit; dum hic in *peritonæo* semper et omento inflammationem movet, etiam ubì, octodecim* vel viginti quatuor horis, mortem affert. Duo, porrò, morbi diuturnitate multùm differunt. *Peritonitis* enim cursum multo citiùs peragit, quàm *typhus*. CLARKIUS ait, se vidisse ægram illo morbo perire intra octodecim horas ab initio. *Peritonæi*, denique, inflammatione cerebrum et nervi minùs et seriùs fatiscunt, quàm *typho*.

DENMANNUS,

"*qu'on les connoît à peine dans les pays chauds. Il* "*meurt plus de femmes* ANGLOISES *en couches que de* "*femmes* FRANÇOISES; *en* ITALIE, *les couches sont en*"*core plus heureuses qu'en* FRANCE, *et plus on avance* "*du côté du midi, plus on a lieu de vérefier cette ob*"*servation.*" Vid. *Mémoires de la Société Royale de Médicine, pour l'année* 1786.

* Vid. CLARK.

Denmannus, Hoffmannus, Johnstonius, et haud scimus, annon etiam alii quidam, existimant, *peritonitidem puerperarum* ab uteri inflammatione incipere; quæ dein, brevi tempore, per totum *peritonæum* serpat.

Sunt autem, quæ huic sententiæ contradicantur. Quo enim in loco uterus est, is, initio hujus morbi, nunquàm dolet. Imò, per totum morbum, dolor ibì loci levior est, quàm alibì abdominis. Quinetiam, ventre post mortem patefacto, plerumquè neque uterus ipse, neque adventitia tunica quam à *peritonæo* accipit, morbida conspicitur. Hæc, ut nobis videtur, opinionem labefactant, à his auctoribus propositam, vel potiùs prorsùs evertunt.

Contendunt Hamiltonius * et alii, inflammationem, quâ in puerperis *peritonæum* corripitur, naturâ erysipelati congenerem esse; inducti,

* Aud. Jac. Hamilton. Prælectiones *de Art. Obstet.*

inducti, ut sic opinarentur, quòd utrique nonnunquàm morbi in eodem simul vulgantur loco, imò eandem simul puerperam urgent.

Addit hic medicus, aliquandiù ante tempus, quo, in valetudinario EDINBURGENO, puerperas invasit *peritonitis*, erysipelas levissimæ plagæ à chirurgis inflictæ supervenisse: et conjectat, tunicas viscerum, quæ abdomen occupent, vel consuetâ gravidi uteri pressurâ subitò desinente, vel debilitate partum consequente, aptas fieri, quas inflammatio, naturâ erysipelati persimilis, adoriatur.

Ad eos, qui rogent, quamobrèm tabes, quæ erysipelas moveat, non ipsum afficiat uterum, refert, purgationes, quæ partum finitum insequantur, obstare, ne uteri arteriæ solito vehementiùs agitentur, et inflammationem capiant.

Peritonitidem autem *puerperarum*, et erysipelas, minimè, ut omnibus nervis contendit

HAMILTONIUS,

HAMILTONIUS, naturâ congeneres esse morbos, idcirco credimus, quòd erysipelas nullas partes inflammat, præter eas quibus cuticula obducitur, summam nempè cutem, et vias; dum morbus, de quo scribimus, *peritonæum* tantùm, aut saltem viscera quibus hoc præbet tunicam, inflammatione afficit.

HULMIUS et LEAKIUS, notatis iis, quæ, in patefactis cadaveribus, apparent, censent, mala, quibus hic morbus puerperas premat, oriri ex inflammatione *peritonæi* et *omenti*. Partu finito, sanguis, qui modò in uterum gravidum et fœtum distribuebatur, avertitur subitò in cæteras corporis partes; at maximè, ut contendit LEAKIUS, in *omentum* et *peritonæum*, quorum arteriæ, quippe faciliùs amplificatæ, eum copiosiùs intromittunt. Ex sanguine in has partes, præter modum, averso, aliis simul causis adjuvantibus, provenit, ut opinatur hic auctor, morbus, de quo scribimus.

Contrà,

Contrà, negat Whitius, inflammationem *peritonæi* et *omenti* primariam esse: asserens, in aliis quibusdam morbis, ut monstrant patefacta cadavera, similem nonnunquàm inflammationem in his partibus oriri. Concedimus esse, ut affirmat hic auctor; sed putamus, inflammationem, quam dicat, morbo moveri, non morbum inflammatione.

Quàm aliâ ratione in quasdam corporis partes, post fœtum exclusum, distribuatur sanguis, eò apparet, quòd tùm puerperæ, quæ nondùm multum sanguinis profuderunt, haud raro animo linquuntur. Uterus, expulso fœtu, brevi in molem tam exiguam sese contrahit, ut non satìs expeditè profundat sanguinem, qui nuperrimè in semetipsum amplitudine auctum, et fœtum distribuebatur. Quo fit, ut vicinæ partes derivato in earum vasa sanguine turgescant, et inflammatione capiantur: nam hæ partes, ante partum multùm debilitatæ, et hauddùm pristinam firmitatem

 redeptæ,

redeptæ, aptæ aliquandiù sunt, quæ sanguine facilè distendantur.

Cognitis iis, quæ diximus, licet concludere, *peritonitidem puerperarum* esse morbum sui similem: qui nonnunquàm, ut in valetudinariis, cùm aëris tum loci vitio oriatur et vagetur; nonnunquàm, ut ubì extra valetudinaria latiùs et dispersiùs grassatur, aëris solius.

Hujusmodi autem vitium nunquàm hunc morbum antè excitat, quàm partu edito mulierum corpora apta aliquo modo reddita sunt, quæ eo afficerentur. Namque mulieres, tam uterum gerentes tam non, quantumcunquè ei exponantur, à morbo integræ manent.

Quamobrèm verò hâc gravi et pestiferâ naturâ *peritonæum* et *omentum*, præ cæteris partibus, inflammatione afficiantur, æquè ignoramus; ac quamobrèm tabum pestilens, undè oritur angina maligna, tonsillarum et mucosæ faucium membranæ inflammationem

moveat,

moveat, et non itidem in cæteris corporis partibus.

Cognitis hujus morbi signis; et morbidis, quæ, patefactis mortuarum puerperarum cadaveribus, oculis obveniunt; et spatio, plerumquè brevi, quod cursu implet: credimus, initio magnam vim inflammationis habere; deinque, pure ex sacco *peritonæi* per vasa bibula absorpto, et in sanguinem recepto, in putridum abire.

CAP.

CAP. IV.

De Signorum Ratione.

Abdominis dolor, et tactus impatientia—ex *peritonæi* inflammatione oriuntur.

Abdominis tumor—nonnunquàm forsan fit spiritu intestina quoquoversùm distendente. Sed ubì, ut sæpè, sub finem morbi, intumescit venter, plerumquè tumefacit spiritus, quem pus, ex suppurato tùm omento in saccum *peritonæi* effusum, et jam putrescens, edidit.

Spiritus difficilis—est, quia, præ *peritonæi* inflammatione, ægra potest, sine dolore, neque spiritum trahere, neque emittere. Nam, inter

inter hauriendum spiritum, detrusum septum transversum inflammatas partes premit; et, inter reddendum, contracti musculi abdominis. Ubì, ut interdum, *pneumonia*, unà simulque cum hoc morbo urget, fieri non potest, quin alicujus thoracis partis inflammatione spiritus adhuc difficilior reddatur.

Nausea, vomitus, et *alvi profluvium*,—cùm vitio bilis, tum nimietate, oriri videntur.

Adstricta alvus—est, quia, præ febre, neque arteriæ, quæ in eam patent, humorem, utì solebant, exhalant, neque mucum secernunt glandulæ: quibus fit, ut, dum interna ejus facies arescit, et minùs irritabilis fit, fæces indurescant sic, ut ægrè demitti possint.

Fatiscunt brevi vires—ob consensum, qui, per nervos, cerebro intercedit cum partibus inflammatis.

Abdominis dolor subitò conquiescit—ob gangrænam, quæ inflammatis partibus supervenit.

Petechiæ; maculæ rubræ, quales movet erysipelas; *frigidi profusique sudores*,—hìc illic, oriuntur ex magna debilitate, quam effecerunt ingens vis inflammationis, et consecuta humorum putredo. Eâdem causâ fæces alvus, urinam vesica, animi injussu egerunt.

CAP.

CAP. V.

De Diagnosi.

MALIS quibusdam, quæ puerperis affert hic morbus, expositis, proximum est, ut cæteris eum dignoscamus morbis, qui aliquibus eum notis simulent.

Morbi autem, qui aliquibus *peritonitidem* puerperarum signis referunt, sunt nixus partu posteriores, *ephemera lactea*, *febris miliaria*, febris ex remorantibus secundis, *typhus*, *hysteritis*, *enteritis*, colicus dolor, et *cholera*. De his ordine paucis dicemus.

Nixus partu posteriores,—quamvis peracerbi sint, identidem tamen intermittunt, et, intervallis modò longioribus modò brevioribus, revertuntur. Quinetiam, nullam ferè febrem movent, neque purgationes citant. Contrà, dolor, quem ciet *peritonitis puerperarum*, per totum morbum urget haud remissus. Magna simul vis febris est; et purgationes solito plùs abundant.

Ephemera lactea—laborantium mammæ turgescunt; dolentque axillarum glandulæ. Simul levis tantùm febris est; abdomen sanum. Affectarum verò *peritonitide* puerperarum mammæ, præter solitum, flaccent, glandulis intereà axillarum non dolentibus. Magna autem vis febris est; et graviter dolet abdomen.

Miliaria—differt à *peritonitide puerperarum*, quòd, contrà atque hic morbus, pruritum cutis movet, et sudorem graveolentem;

deinque

deinque papulis cutem exasperat, quibus erumpentibus plerumquè levatur.

Febris ex remorantibus secundis,—quippe in qua non solùm purgationes pessimè fœteant, sed etiam, tanquàm in *hectica*, horror corpus dein calor percurrat, tùm perfundant sudores, non potest, pro febre quam persequimur, haberi; nisi ab iis, qui negligentes sint inscientesve notarum, quibus morbi dignoscantur.

Typhus,—et *peritonitis* de qua scribimus, inter se haud parùm differunt. In hoc enim morbo, in illo non item, abdomen tanquàm spiritu distenditur, atque gravissimè dolent et hoc et sinciput; simulque difficillimè trahitur et emittitur spiritus. Quinetiam hic morbus, quàm ille, cursu brevius multò temporis spatium implet.

Hysteritide—ægrarum, non item puerperarum quæ *peritonitide* laborant, non so-

lùm uterus solito major est et durus, simulque, cæteris non dolentibus, graviter dolet; sed etiam purgationes subitò reprimuntur.

Enteritis,—et *puerperarum peritonitis*, morbi profectò persimiles sunt; neque enimverò ægræ multùm interest, an dignoscantur, cùm eadem utrisque curatio conveniat. Verùm in illo tamen morbo, abdominis dolor minùs latè se diffundit; duri arteriarum pulsus sunt; delirium citiùs supervenit; alvus diutiùs adstricta est; neque super superciliis dolet sinciput.

Colicus dolor,—non itidem is quem movet *peritonitis puerperarum*, umbilicum, et vicinas huic partes, maximè urget; levi pressu mitigatur; neque, saltem initio, febrem habet.

Cholera—graviore ægras vomitu et alvi profluvio urget, quàm *peritonitis puerperarum*. Quinetiam illum morborum dejectiones adeò

non,

non, ut hunc, levant, ut haud rarò animi deliquium inducant. In *cholera* quoque, secùs ac in *peritonitide*, abest febris, et suræ persæpè vexantur nervorum distentionibus.

CAP.

CAP. VI.

De Prognosi.

Cognita strage, quam dat hic morbus, quoties grassatur, raro ægris securitatem polliceri possumus; et, enimvero, debemus nunquàm, nisi cautissimè, bonum, in futurum, præsagiri.

Puerperarum, quæ, in valetudinariis, hoc morbo corripiuntur, una ex sex revalescit; earum autem, quæ in privatis domibus, duæ ex septem. Quinetiam, privatis in domibus, utì puerperæ in hunc morbum rariùs incidunt, rariùsque moriuntur, ità, quas non absumit, eæ valetudinem citiùs recipiunt.

Quò

Quò citiùs, post partum, hoc morbo afficiuntur puerperæ, eò in majore discrimine versantur. Neque autem ex vi horroris, à quo incipit morbus, neque diuturnitate, possunt medici præsentire et prædicere, quid sit eventurum.

Ubì arteriarum pulsus, ex frequentibus et debilibus, non fiunt rariores et validiores; ubì ægræ, naturâ delicatæ, magna supervenit debilitas; malum est. Mali etiam morbi testimonium est, ægrotam mala, quibus prematur, parùm, aut omninò non, sentire. Neque verò signum bonum est, abdomen gravissimis doloribus, nec intermissis, cruciari; simulque plùs plùsque distendi, et indurescere; spiritum difficillimè duci et reddi. Pessimum est, si continua ægram vigilia premit; si caput gravissimè dolet; et si infanti ægra recusat mammas præbere.

Mors denunciatur, ubì abdominis dolor subitò conquiescit; ubì arteriarum motus frequentissimi

quentissimi sunt debilissimique; ubì summa debilitas est; ubì dejectiones fœtidæ sunt, et subnigræ nigræve; ubì vomitus fuscus aut niger est; ubì, nesciente ægrâ, excernuntur fæces et urina; ubì frigidi sudores in partibus oriuntur; ubì *petechiæ* corpus maculant; ubì artus maculis, quales movet erysipelas, rubent; ubì ægra non suæ mentis est; et ubì frigent membrorum extremitates.

Contrà, levis morbi indicium est, si vomitus, et stomachi defectus, brevi desistunt; si diarrhœa levis est, et dejectiones, dum mala levant, vires non dissipant. Bonum quoque est, ubì mammæ, quæ exaruerant, aut justo parciùs secreverant, denuò abundantiùsve secernunt; et ubì purgationes, anteà solito parciores et malo habitu, rursùs fiunt naturales.

Neque verò mali morbi est, ventris, qui nondùm intumuerit, dolorem cessare; spiritum faciliorem fieri; lenem toto æqualiter corpore sudorem oriri; urinam copiosiùs red-

di;

di; animum non demitti, sed spe futuræ valetudinis erigi. Morbus quoque, qui quindecim sexdecimve dies protrahitur, plerumquè securitatem pollicetur. Morbi, quandò non lethalis, signa, quinto plerumquè septimove die, paulatim remittunt; atque ægrá sensim revalescit, et, longo pòst tempore, confirmatur.

CAP.

CAP. VII.

De Prophylaxi.

QUONIAM *peritonitis puerperarum* adeò lethalis est, oportet medicos cùm gravidis tum puerperis suggerere, quâ ratione præcaveant, ne eâ corripiantur. Hunc in finem, debent monere, quæ, inter graviditatem, vitanda sint aut facienda, ne proclives ad morbum fiant; et quæ, inter puerperium.

Sanguinem gravidis detrahere, ut nonnulli inconsideratè monent, nostrâ opinione, nocivum est; quia, ut comprobavit experientia, aptius corpus reddit, quod sanguine, supra modum, impleatur. Ne autem gravida justo plenior

plenior fiat, oportet alvum, quoties dura est, lenioribus catharticis laxare. Eodem consilio, diæta debet neque parca nimìs esse, neque nimìs plena; sed constare ex cibis levibus, boni succi, et nutrientibus. Exercitatio quoque modica in apertis serenis adhibenda est; quippe quæ non solùm faciat, ut idonea secernantur, utì debent, et excernantur, sed animum quoque rerum novitate occupet et exhilaret; quibus sanè nihil gravidis, et fœtui quidem ipsi quem utero gerunt, plùs proficit.

Inter parturiendum, mala, quæ enitentes patiuntur, quàm maximè levanda sunt assiduâ curâ, blanditiis, speque futuræ prolis excitatâ, et omnibus dictis et factis quæ animum tranquillare possint. Caveant obstetrix et adjutrices, ne quid acerbius enitenti dicant, vel, inter se vellicantes subcontumeliosève subridentes susurrent, quod molestiâ animum afficiat. Hujusmodi enim verba semel emissa volant irrevocabilia, neque raròo, ut edocuit

experientia, miserandam in extremum discrimen adducunt.

Partu finito, abdomen leviter circumcingendum fasciâ est, ne plus justo sanguinis in vasa, dudùm gravido utero compressa, derivetur, utque dolores parturiendi maturiùs consopiantur et desinant. Lectus, primo quoque tempore, componi debet, et novis ornari vestimentis.

Quibus tempestivè et cautè factis, una tantùm mulier dein puerperæ assidere debet, quæ ei administret, quibus famem et sitim expleat. Quò interìm puerpera quiescat, somnoque recreante fruatur, lumina cubiculi officienda sunt, ne qua lux turbet; et cavendum est, ne stridant fores, ne vagiant infantes, neve quis alius strepitus aures offendat, somnumque abigat.

Cubiculus spatiosus debet esse, et, quoties opus, perflatum habere; curâ intereà habitâ, ne

ne qua aura ad puerperam aspiret. Quò corpus minùs incalescat et insudet, ægra æstate levi veste debet esse contecta; hieme graviore, ne frigore inhorrescat.

Maturi fructus, et potiones refrigerantes subacidis malorum aureorum citreorumve succis temperatæ, ut optima sunt, ità efficacisssima, quibus sitis sedetur. Cibi debent esse simplices, leves, stomacho apti, circumcisis aromatibus, cæterisque stimulantibus gulæ invitamentis.

Oportet intereà administram, et alias quæ accedant, cavere, ne quid dicant faciantve, quod mœrore vel gaudio, ullâve aliâ affectione, puerperæ animum commoveat.

Si, tertio post partum mane, puerpera nihildum dejecerit, lotio emolliens in alvum subtèr infundenda est, aut lene assumendum ore catharticum. Et, quò puerpera vires recolligat, atque lassitudinem et tædium sedet, quæ pepererit

pepererit longa eodem positu quies, tertio quartove die debet lecto residere paulispèr, pulvinis dorsum et humeros suffulta.

Ubì puerperæ in animo est suum infantem lactare, debet, primùm ut tutò potest, ei mammam dare; quò ubera citiùs lacte abundent sanguine in ipsa derivato, et quò abdominis viscera minùs, supra modum, impleantur.

Si contagione, vel ipsâ curatione, qua pestilens vis morbi puerperam penetraverit, quamprimum mitiganda est, vel innocua reddenda. Hunc in finem, optimum factu est, utì putat SMYTHIUS, suffire cubiculum vaporibus ex *acido nitroso*, quippe efficacissimis et minimè nocivis; vel, ut aliis placet, iis ex *acido muriatico*.

Vires simul sustinendæ sunt cibis valentibus, *cinchonæ* cortice, aquâ metallicis naturis imbutâ, et leni exercitatione. Providendum quoque est, ut cubiculum, quo lecto tenetur puerpera,

puerpera, perflatum habeat, et fæces excernat alvus.

Ratione, quam exposuimus, morbus, de quo scribimus, sæpè præcavetur, vel, siquandò puerperas nihilominùs adoriatur, eas saltem leviùs urget, rariùsque superat.

CAP.

CAP. VIII.

De Curatione.

In varias, et contrarias quidem, hujus morbi curandi vias processerunt medici. Quum verò *peritonitis*, similitèr atque aliæ inflammationes, modò discutiatur, modò suppuret, modò in gangrænam abeat; medicus initio inflammationem digerere debet, ne abscedat pars affecta, et gangræna superveniat.

Numne, hoc consilio, sanguis mittendus sit, inter medicos acerrimè disputatum est. Nonnulli, nempè Hulmius, Leakius, Gordonius, Denmannus, et quotquot eos sequuntur, censent, sanguinis missionem in primis necessariam

necessariam esse: dum alii, Hamiltonius, scilicet, Clarkius, Forsterius, quique horum partes suscipiunt, quippe pessimam et periculosissimam improbant.

De hac autem re, ut sæpè de aliis controversis, in medio inter disputantes interjacet verum. Quin enim sanguis inconsideratè detractus plurimùm nocuerit, nullus medicorum quisquam dubitat. Et concedunt omnes, sanguinis missionem, modò opportunè adhibeatur, plurimùm ad inflammationem discutiendam pollere.

Sanguinis missio malam, inter quosdam medicos, adepta est famam, quia haud raro intempestivè adhibita est, et spem frustrata. Raro enim medicis datur occasio experiendi, necne proficiat, dum usquè eò increverit inflammatio, ut digeri nequeat. "If the first "stage," inquit Denmannus, "be suffered "to pass unheeded, bleeding will certainly "then be injurious, the opportunity having "been

"been lost; and the physician afterwards "called in, however great his talents may "be, will too often have the mortification of "being a spectator of mischief, which he "cannot then remedy, and of an event, which "he can only deplore."

Quò, quantum sanguinis mittendum sit, judicet medicus, debet animadvertere, quantum vis morbi postulet, et ægræ vires pati possint; haud oblitus, eâ naturâ hunc morbum esse, ut, brevi tempore, vires plurimùm fatiscant, atque sanguinem, justo seriùs copiosiùsve missum, facere, ut et morbus et periculum ingravescant. Quinetiam, dum effluit sanguis, operæ pretium est, digito admoto explorare, numne multùm se submittant an attollant carpi arteriæ; quippe ex quo cognito medicus possit scire, quantum tutò sanguinem mittendum ægra pati posse videatur.

Quò robustioris corporis puerpera est, et quò minùs, post partum, naturalium purgationibus,

tionibus, aliisve causis debilitata, eò majus opus erit, ut opportunè sanguis eliciatur. Neque medici debent à sanguine mittendo absterreri, quòd arteriarum pulsus parvi sunt; præsertìm cùm, post sanguinem detractum, molliores fiant et pleniores.

Ubì autem ægra delicatâ corporis constitutione est, neque ex incisa brachii vena sanguinis jacturam pati potest, magis tutum erit, ministris hirudinibus sanguinem detrahere ex abdomine. Sic enim elicitus hinc sanguis, dum minùs debilitat corpus, sanguinem potentiùs avertit ab ægris reconditis partibus, citiùsque harum inflammationem digerit.

Quinetiam, quò discutiatur inflammatio, opus est, ut ægra à cibis potionibusque valentibus abstineat, cæterasque incitantes res omnes devitet; quæ, etiamsi horrorem sedent, vim tamen inflammationis aggravant.

Primo morbi accessu, si urgeant nausea et vomitus, *ipecacuana* assumenda est, quæ alienis stomachum exinaniat. Quòd si venter permultùm intumescit, et, tanquàm spiritu distentus, tactu durus est, simulque vires admodùm fatiscunt, à vomitoriis abstinendum est; et coërcendus vomitus est *citrate potassæ*, vel aquâ calcis, vel lacte, ne à vomendi nisibus morbi vis et discrimen ingravescant.

Alvus, si, ut haud rarò, morbi initio astricta sit, debet, sine mora, laxari lotionibus subtèr inditis. Quò inflammatio sedetur et conquiescat, prætereà ægræ utile erit assumere cathartica, ex iis quæ refrigerant, præcipuè *sales secundarios*; vel, si hi parùm valeant, *jalapam* separatìm, unàve cum *submuriate hydrargyri*. Ut cathartica ad spem respondeant, potus diluti affatìm bibendi sunt.

Alvi profluvium, quo puerperæ, *peritonitide* ægræ, haud rarò exinaniantur, nonnulli medicorum contendunt assumptis inconsiderate

ratè catharticis excitari. Nobis verò videtur, potiùs oriri ex neglecta alvi purgatione; neque ullâ ratione certiùs præcaveri, quàm datis opportunè catharticis alvum in motus ciendo, qui acribus hanc vacuefaciant, quæ illud moveant.

Lanea, ex aqua calida, quâ incocti chamæmeli flores sint, expressa, toti identidem abdomini superinducere; eidemve, ubì dolet, vesicam amplam, duas totius ferè partes aquâ calidâ impletam, applicare; non dolorem modò sedat, verùm mitigat quoque spirandi difficultatem.

Neque enimvero inutile erit, post alvum catharticis satìs purgatam, internas ventris partes fovere tantâ aquâ tepidâ subtèr injectâ, quanta rectum et sinuatum intestina compleat. Huic, quò in idoneum tempus retineatur, pauxillum *tincturæ opii* admisceri debet.

Exulceratorium,

Exulceratorium, quippe quod excitet inflammationem partis externæ cui imponitur, et sic sanguinem evocet ex partibus reconditis, ad *peritonæi*, pariter atque cæterarum internarum partium, inflammationem discutiendam multùm valet.

Haud scimus, annon etiam *digitalis* ad digerendam *peritonæi* inflammationem conducat. Quippe enim tardando sedandoque nimios cordis arteriarumque motus, quibus in partem inflammatam sanguinem nimio impetu projiciunt, turgidis inflammatæ partis arteriis præbet occasionem sese in pristinam amplitudinem contrahendi. Quinetiam citando urinam facere potest, ut humorem, si quis, ex patulis inflammatæ partis arteriis effusum, vasa bibula resorbeant, et conducant in irrequietum sanguinem.

Ubì, morbi initio, alvi proluvies urget, leniora cathartica assumenda sunt, quæ acrem materiam expellant. Siquandò autem, ut

interdum,

interdum, alvus incipiat fluere, postquàm acribus jam satìs exonerari visa est, opio et astringentibus coërcenda est. Hunc in finem, utilia erunt cortex *cinchonæ* et *colomba.* Si *tenesmus* simul urget, proderit in alvum lotiones, quibus insit opium, subtèr dare.

Quoniam *peritonitide* vires plerumquè brevi, mirum in modum, defluunt, oportet medicum summâ ope niti, ut sustineantur. Hoc consilio, post nimios cordis arteriarùmque motus sedatos, et vim inflammationis coërcitam, debet ægræ præcipere, ut, interpositis temporibus, assumat non solùm tantas *cinchonæ* corticis doses, quantas ferre possit ventriculus, itemque paucos diluti vini cyathos, quibus nutriantur vires; sed et pauxillum opii, quod leniat dolorem, et somnum conciliet.

Conclave, in quo decumbit ægra puerpera, debet esse spatiosum, et quàm sæpissimè per-

flatum

flatum habere. Summa simul, per omnia, munditiæ cura habenda est.

Ne siti urgeatur, ægræ permittatur, ut dilutos et refrigerantes potus accipiat; itemque fructus maturos, qui non solùm sitim compescant, sed etiam febrem sedent, corpus nutriant, et alvum emolliant.

Urina, si tarda, citanda est *digitali;* et dolor mingendi, si quis, levandus balneo, fotu, et aquæ calidæ vaporibus. Urinam autem, ubì eam reddendi impotens vesica est, per fistulam in hanc cautâ manu demissam, temporibus interpositis, educere oportet.

Dolorem capitis, spirandi difficultatem, et tussim, quibus sanè malis misera interdum ægra plurimùm urgetur, potentissimè levat exulceratorium, dorso inter scapulas inductum. Ad tussim quoque sedandam haud parùm conducunt potiones gummosæ quædam; sive glutinosæ; sive sevosæ, præsertìm

quibus

quibus solutum cetorum sevum sit: utpote quæ fauces illinant, ne suus ipsas humor, commeansve spiritus irritet.

Dummodò idoneâ curatione *peritonitis* desiverit, caveat puerpera, dum revalescit et vires recolligit, ne iis se inconsideratè committat, quæ eam reducant.

F I N I S.